Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1295
Quelle:
Copyright:

ſentialia, quedam pertinentia ad perſonalia &c. et continet *Quaeſtiones* 20. *Quodlibetum* VI. tantum 9. VII. vero non niſi 1.

II. *fol.* 21. praemiſſo Elencho ſequitur *Bonaventura in Librum II. Sententiarum* hoc initio: *Solummodo hoc inveni, quod deus fecit hominem rectum* &c. prout extat *Opp.* T. IV. *Lugd.* 1668. f. et a nobis non ſemel relatus eſt.

III. *fol.* 214. Sex *Principia* ſive Proluſiones cum in expoſitionem ſ. *Scripturae*, tum *Magiſtri Sententiarum*, quarum prima ἀκέφαλος, reliquae nullo Autore. Additur ad calcem: *Iſte liber eſt emptus in quinta feria Poſt Egidij Anno Domini M° CCCC° 32°. 3. Floren.*

DLXXVII.

U.685 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 244. f. per duas columnas luculente ſcriptus, coloribus diſtinctus, et a *Thoma Haſelbachio* quondam ſupremis tabulis relictus *Collegio ducali wienne apud fratres predicatores*, exhibet, ut e calce adſumo, *Queſtiones VII. Quodlibet magiſtri Henrici de Gandauo Archidiaconi Tornac. diſputatas in ſcolis ſuis et determinatas ab ipſo.* Addit calx *Quodlibeti III. Anno domini M°. CC°. LXXVIII. in paſcha. Pariſiis* docuiſſe *Henricum Goedhals*, ſeu *Bonicollium*, dictum Doctorem *Solennem*, defunctumque a. 1293. dixi hoc *Vol.* dum ex ejus *Quodlibetis* Excerpta referrem. Hic vero integra habentur, adjuncto ad cujusvis finem Quaeſitorum Indice. Quaeſita porro in univerſum de Deo et Creaturis agunt, diſputando tamen fere ad omnia Religionis et Morum Capita deducuntur. Typis *Pariſinis* a. 1518. et *Venetis* a. 1613. f. extare *Quodlibeta* noſtra Autor eſt *Fabricius* in *Bibl. med. Lat.* et *Foppenius* in *Bibl. Belg.* mihi tamen neutri ad manum ſunt.

DLXXVIII.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 198. f. maj. per duas columnas nitide, ſed multis vocum compendiis exaratus, coloribus illuſtratus et fronte picturata, cujus prima litera I. Virum habitu *Dominicano*, quem ipſum S. Fundatorem puto, dextra lilium, ſiniſtra librum praeferentem, leonique inſiſtentem exhibet, olim Collegii S. J. *Viennenſ.* complectitur VII. *Quodlibeta* Theologica, id eſt Quaeſtiones *pro et contra* diſputatas, quae quondam ad oſtentanda magis ingenia, quam veram utilitatem frequentes erant. U.626 Rubrica ſic habet: *Incipit primum quodlibet venerabilis patris fratris Heruei* (Britonis) *Ordinis fratrum predicatorum qui fuit Magiſter in theologya et poſtea magiſter* (XIV.) *totius ordinis fratrum predicatorum, quod fecit ſcribi Frater Johannes de diſcowe.* Initium eſt: *In noſtro quolibet querebatur vnum commune deo et creaturis intellectualibus* &c. Ita ſequuntur et reliqua III. *majora* Noſtri *Quodlibeta*, prout ſe excipiunt in Edit. *Venetа*